

INCEPIS ADSIS SACRIS HONORABILE  
NUMEN!

De

TUTISSIMO ADMINISTRAN-  
DARUM RERUM VINCULO,

*Scilicet*

# TACITURNI- TATE,

DISQUISITIO PHILOSOPHICA,

*Quam*

Consensu Ampliss: ad Auram Academiæ  
FACULT. PHILOSOPHICÆ,

PRÆSIDENTE,

*Celeberrimo Viro,*

# DN. JOHAN: Wünster/

Phil. Pract. & Hist. Prof. Ordin.

*Doctis examinandam sistit,*

# ISAACUS SIPONIUS,

Helsingf. Nylandus,

*In Acrat. Max. ad diem 16 Maii, 1702.*

---

Exc. Jo. Wal.

*Admod. Reverendo nec non Amplissimo,*

**DN. M. ARVIDO ALOPÆO,**

Borgoënsium Pastori meritissimo,  
& adjacentis districtus Præposito  
gravissimo, Patrono meo propensissimo.

*Admodum Reverendo, Clarissimoque*

**DN. PETRO SERLACHIO,**

Pastori in Perno dignissimo, Præposito  
districtus adjacentis adcuratissimo,  
Evergetæ jugiter colendo.

*Plurimum Reverendo atque Clarissimo.*

**DN. NICOLAO BURTZ,**

Sacellano ante hac dictæ Civit. Helsingf. Vigilantissimo, jam vero Pastori  
in S<sup>u</sup>dmaki optimè merito, ut Præce:  
qvondam fidelissimo, ita nunc Pro-  
motori ac Evergetæ honoratissimo.

*FELICIA*

*Admod. Reverendo & Praclarissimo.*

**DN. M. ANDREÆ IGNATIO,**

Pastori Civitatis Helsingiæ. Parœcia-  
rumque adjacentium Præposito Ion.  
gè meritissimo, Promotori ac bene-  
factori benignissimo.

*Plurimum Reverendo nee non Clarissimo*

**DN. CHRIST. WIBURG**

Pastori Ecclesiæ Sijhaniemensis  
Arcisqve Wiburg. fidelissimo, Ben-  
factori multis nominibus ætatem su-  
spiciendo.

*Pl. Reverendo & Clarissimo,*

**DN. NICOLAO GESTRINIO,**

Pastori in Euthmois egregiè merito,  
Conlangvineo svavissimo, qvovis  
officii cultu semper prosequendo.

**QUÆVIS!**

**E**cce & vestra audet tetigisse palatia  
Musa  
Musa mea hæc nullo culta lepore li-  
cer.

**Q**vandoquidem in Musas semper favor  
exitit ingens  
Vester, & hinc certus accidet iste  
mihi.

**Q**væ, mea Vena, precor jam dat, Magni  
Favatores,  
Munera, sincerâ sumite mente ea-  
dem.

Laudibus extollet Vos mecum docta  
caterva,  
Famaqve post funus vestra peren-  
nis erit.

Admod. Rever. Plur. Rever.  
*nec non*

Clariss. Viris Dominisque

*devotus eliens cultorque  
obserbantissimus*

*ISAAC SIPONIUS.*



## Ad LECTOREM æqvum & be- nevolum!



Eploranda jam est, (proh dolor!) hac in extremâ mundi  
fæce, ingenii humani pravi-  
tas, quod DEO, bonorum o-  
mniū largitori benignissimo,  
cujus sanctissimi Nominis glo-  
riam atque laudem buccâ canora indesinenter  
decantare deberet, vice nunc versâ, eidem in  
contumeliam, mortalibus in mutuam perni-  
ciem, mala gratia cedat. Nam ut taceam,  
recte rationis abusum, in divinis & cœlestibus,  
non minus quam humanis ac terrenis, passim  
obvium, absque laterna Diogenis, ejusmodi  
perfrictæ frontis cerebell'a reperiri liceat, que

A

aut

aut suos errores ingeniosè defendunt, aut men-  
 dacia excusant, aut dolos fraudesque impo-  
 sturæ rationis ductu excogitant, Vel etiam  
 nonunquam, venenatis, bonorum conamina, acu-  
 leis, pungere solent. Quanta sint orationis ae-  
 linguae in hoc abusu incommoda, cuiuslibet sano  
 est in aprico. Fluctus autem, quos immoder-  
 ata portendit lingua mortiferos, compositu-  
 rus, legem ipsi prescribendo, cum Marone fa-  
 teri necessum habet: hoc opus, hic labor est.  
 Quod negotium, ut ut arduum, humerisque  
 minus valentium saxo Sisyphi longè gravius,  
 honestatem rei difficultati preferendo, solo sa-  
 piendi descendique studio subire tentavi. Quòd  
 enim præstantior virtus, eò rarior ac amabilior.  
 Hoc certè dignissimum, inter tot alia argumenta  
 mihi oblata, in quo mens literis devota se  
 exerceret, elegi. Fabe igitur, Benigne Lector,  
 cæptis; Et si ad tui exquisiti gustus palatum  
 omnia non attigerimus, partim temporis sum-  
 ma angustia, partim tenuitati ingenti, mate-  
 riaque difficultati imputans, lapsantem, ubi hæc  
 humana lingua, crenaque titubaverint, sincere  
 subledando erige. Interim Vale!

\*\*\*

## C A P. I.

TACITURNITATIS existentiam adstruit, nec  
non ipsius vocis ὀνοματολογιαν declarat.

## §. I.

**E**xistentiam præstantissimæ hujus  
virtutis inficiaturi, cuius sine vin-  
culo societas ulla, nec conjun-  
gi neq̄ conservari, multò minus  
aliqua respub. vix firmo stare  
potest talo, juxta illud Poëtæ :

( a ) *Quā sine non tellus pacem non æquora  
norunt,*

*Justitiae consors tacitumque in pectore  
Numen.*

Tantū abest, ut nō modo non luculentissi-  
mis scripturæ S. pandeatis, ( qvib⁹ atheisti-  
cum est refragari ) Verū & exemplis, tam  
Sacris, qvam profanis, in ipso progressu  
enumerandis, tramiti reæ rationis le-  
giqve nobiscum natæ, ex amissi terga  
vertere videantur ; Cum hæc non minus

A 2

ac

( a ) *Silius lib. 2. belii pun. c. 2.*

ac cæteræ virtutes, circa mediocritatem eximiā inter excessum scilicet defectum, sit occupata. Mediocritatis a. natura, ceu Ampl. Dn. Hieronymus Prætorius assertor, (β) non nudam solum extremorum negationem infert, sed simul positionem involvit & rem, quæ ab extremis distat: addendo mox ibidem rationem, cur hæc ita se-  
se habeat? Quia nim. nisi hoc, inquit, concedatur, sequeretur virtutem esse meram relationem, quod falsissimum. Contrarias li-  
cet hac in re statuminanda, nobis ha-  
beamus plurimorum minus æquibas Phi-  
losophantium phalanges, ipsum quoque Aristotelem, quibus tamen nihil move-  
bimus, quin potius quædam ad huc in-  
geniolo posteritatis scrutinio reservata  
esse existimemus. Cujus de existen-  
tia ex recensitis infraque recensendis  
certiores facti, pro uberiori mentis de-  
claratione instituenda, in ipso limite,  
ad naturam seu indolem ipsius, impre-  
mis quæ vocis ὀνομαζογίαν concernunt,  
dein (β) Theatro suo Ethic. atq. Polit. sect. I.  
de. Virt. mor. causa p. 43.

dein ipsam Περιηγαλλογιαν spectantia,  
auxiliante Supremo Numine, brevitate  
quà par est, accingemur.

### §. I I.

Priusquam verò, vastissimo dissertatio-  
nis nostræ pelago, sese cymbula confi-  
dere audeat, ratio requirit instituti, pa-  
los robustosque limites, ultra quos ne  
divagari licebit, materiæ circumfistamus.  
Methodum igitur in foro Philosophico  
receptam ritè oblerantes, si in fronti-  
spicio statim ad ipsam *Etymologiam* pau-  
cissimis descendimus, laterem speramus  
nos fore minimè lavaturos. Quod autem  
natales debeat tuas verbo, Romanæ Civi-  
tatis jure donato, scil. *Tacere*, cuilibet est  
in confessio. Appellatur hæc virtus Græ-  
cis στυγὴ vel σιωπὴ; Latinis *Taciturnitas*  
ac *silentium*. Apud veteres litera S. in-  
nuebat silentium & inscribi cænaculis so-  
lebat, ut hospites ac peregrinos ad silen-  
tii fidem hortaretur. Huic nequaquam  
remur esse contrarium, cum taciturni-  
tatem imponentes lingua sonum ac fi-  
bi-

bilum ejusmodi efformamus, s<sup>t</sup>, qualem;  
apud Terentiū, formulā deprehendimus.  
(γ) Item Græcis τὸ σιξεῖν, sibilare significat,  
hinc cū aliqvid fileri volumus, sibilamus.

### §. III.

**L**evi sic dīgito enucleatam Taciturni-  
tatis etymologiam, immediatē subseqvitur  
porrò ejusdem Homonymia pervolvenda;  
quam paulo accuratius si intueamur, in  
primā fronte illi cō gemina ipsius (δ) jux-  
ta celeberr. Dn. Rudrauff. acceptio nobis  
occurrit: Ubi accipitur 1. vel speciatim,  
sive in rigiore, pro sola arcanorum reticen-  
tiā; Vel 2. Generatim, pro moderamine lin-  
guæ, ne scil. loquatur cum silendum sit. Qva  
de heic loci. Qvæ ex leqventibus pluri-  
bus inclaret̄.

### §. IV.

**C**omitem semet Homonymiæ, juxta Lo-  
gicos, in definitionis nominalis conside-  
ratione, præbet Synonymia. Dicitur au-  
tem Taciturnitas Val. Maximo (ε) I. Opri-  
mum ac eutissimum administrandarum rerum

vin-

(γ) Phorm. Act V. sc. i. (δ) Institut moral. part. IIII.  
Cap. VII. de Tacit. p. 237. (ε) lib. 2. Cap. 2. §. 1.

*vinculum:* Idque non sine causa prægnanti; etiam gravioris ponderis ergo irrefutabilibus è S. S. visceribus collectis argumentis tale necimus ratiocinium, & quidem illatione ipsius Oppositi: Si gar-,,  
rulitas penuriam ac egestatem infert ,,,  
Virtutum ac bonorum omnium, seqvi-,,  
tur qvod Taciturnitas è diametro sit ,,,  
fons & scaturigo omnium Virtutum ,,,  
bonorumque exinde dimanantium. At ,,,  
ver. prius E. & post. In corroboratio-,,  
nem Majoris atque Minoris adfert ipse  
sp. Sanctus hæc verba: (ζ) Qvi custodit ,,,  
os suum, custodit animam suam: Qvi a. ,,,  
inconsideratus est ad loqvendum, sen-,,  
tient mala. Ut & (η) Qvi vult vitam ,,,  
diligere & videre dies bonos, coerce-,,  
at lingvam suam à malo & labia sua, ne ,,,  
loqvantur dolum. Ad disquisitionis lan-,,  
cem ac rectæ rationis stateram jam exi-  
ge, qvæsumus, illa allata, & tñdensa adeo  
ignorantiæ caligine intellectus tuus fue-  
rit circumfulsus, nostræ partis eris Pa-  
tronus. Illam itaqve jure æquissimo op-  
ti-

(ζ) Prod. 13. (η) 1. Pet. 3. v. 10.

timum ac tutissimum administrandarum  
 rerum vinculum posse nuncupari quis  
 ambiget? Proporrò qvod etiam in pri-  
 mordio nostræ dissertatiunculæ stabi-  
 litum fuit, nullam nim: societatem, nul-  
 lamque rem pub. consistere, nec conser-  
 vari posse, absqve arctiori hujus vin-  
 culo, tam ex iis, qvæ modò citavimus,  
 quam ulterius, ex intrà dicendis, pro-  
 batum ibimus. Multa prætereà alia so-  
 cietatis humanæ dari vincula haud re-  
 fragamur, ea tamen hoc non excludere,  
 ac ne vix qvidem huic anteferri pote-  
 runt. Hoc enim, ipsā prope hominis essen-  
 tiā ingreditur; Hoc alma studiorum  
 nostrorum genitrix; (θ) Hoc verum se-  
 cretumqve μυστεῖον. Hac bonitatis Divi-  
 næ dote qui careret omnium miserri-  
 mus esset. Intrepidè igitur, non inminus  
 quam vere, cum Comico qvodam anti-  
 qvo dicitur. ἀδὲν σιωπῆς ἐσι τρηπον,  
 Nihil est utilius silentio, adeo ut ean-  
 dem Virtutum basin ac fundamentum,  
 cum B. Ambrosio vocemus. Sic enim  
 ait

(θ) Plin. lib. 1. Epist. 9.

ait, silendi patientia, opportunitas lo-  
quendi & contemptus divitiarum, ma-  
xima sunt virtutum fundamenta. 2. Ab  
aliis appellatur *linguae moderamen*, cuius  
quoque præstantiam Poëta vetus, his ver-  
sibus nobis commendat: (1).

*Imprimis studeas moderamina ponere linguae,  
Et cave quid dicas, semperque libentius audi.*

Rosam 3. apud Gentes pristini ævi sub  
nomine silentii venisse, legimus. Unde  
proverbium tale: Hoc sub rosa dictum  
est. Cujus negotii consuetudinem se-  
quentes versiculi indicant: (2)

*Est rosa flos Veneris, cuius quo furtalaterent  
Harpocrati matri, dona dicavit amor,  
Inde rosam mensis hospes suspendit amicis,  
Convivæ ut sub ea dicta latenda sciant.*

Præter alia perplurima ipsius encomia,  
vocabulaque irodovauævra, tam in sacris,  
quam profanis passim offendentia, quæ  
jam, ne tedium ac nauseam legentium  
animis creemus, haut inconsulto omitti-  
mus.

## B

## CAP.

(1) Paling. pag. 95. (2) Lemnius Cap. 4. 4.  
*de plantis Biblicis.*

## CAP. II.

## §. I.

Præmissâ jam plenioris evidentiæ ergo definitione nominali, nobis directe incumbit summo studio, pauca ad disputationis seriem pertexenda, de definitione πραγματῶδη seu reali, in lucem proferre, præcepti Ciceronis haud immemores: Omnis que à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. De Taciturnitatis Generatim sumpte, quam hic indigitamus definitione quidditativa, sepositis variis varia sentientium sententiis, salvo tamen aliorum Judicio, hanc Mauritianam naturam ipsius aperientem, tradimus definitionem. Taciturnitas est virtus mediocriter servans in sermone tempestivè reticendo. Hanc definitionem, quâ, Genus & differentiam autumamus esse accuratissimam.

## §. II.

Prius qvod concernit, Virtutem scil. Genius esse ipsius proximum legitimumque, vel hinc dispalefecit; Qvia non solum habitus est subjectum ad bene operandum disponens, sed & in mediocritate constitutus, inter duo extrema excessum vid. & defectum, ne per excessum Proximus laedatur, tempus inaniter conteratur, aliis in loquendo impediatur, & quæ sunt damna garrulitatis alia. Per defectum autem salus proximi negligatur, ipse nec juvetur, nec oblectetur &c. Verba sunt prænom. Magnif. D. Rudraufi loco supra citato. Virtutem sanè non modo utilissimam, sed & summè necessariam illam appellari, non solum Ethicorum, verum & Philosophorum ac Poetarū suffragia convincunt. Hinc Ovidius:

(λ) Eximia est virtus praestare silentia rebus.  
Nota pariter est sententia Horatii: (μ)  
Ordinis hæc virtus erit & Venus (aut ego fallor)  
Elt jam nunc dicat jam nunc debentia diei  
Pleraque differat & praesens in tempus omittat.

esse

(λ) lib. 2. de art. pag. 168. (μ) lib. ad  
Pisones de arte Poët.

Et si præterea *distinctam*, ab aliis virtutibus, ex *objecto ipsius speciali*, qvod habet *distinctum*, cernere lubet, siqvidem præcile versatur circa sermonem intra mediocritatis seu rectæ rationis limites co-ercendum. Qvæ magnam utut foveat convenientiam cum comitate, interim tamen nudam propter Objecti communis identitatem, & aliqualem cognationē identificari statim, nec possunt, nec debent; Qvandoqvidē inter ipas diversa reperitur *ratio formalis*, & ea ipsa est, qvæ sola tam disciplinis aliis, quam etiam ipsis virtutibus, licet ἀναλόγως, certum specificat objectum, ultra qvod divagari adūtor; Hinc *formale Comitatis* præprimis consistit in hoc, qvod scil. observet civilitatem in sermone faciendo, Taciturnitatis, autem, in sermone pulcrè ac tempestivè reticendo. Unde prædictis suffulti rationum fulcris, illam, à cæteris virtutibus esse separatam ac distinctam, licet etiam aliqualem cum Veritate habeat congruentiam, jure meritoque statuimus.

## §. III.

Posterius, differentiam nim. Taciturnitatis  
 specificam seu ipsius formate, verba in  
 allata definitione exprimunt sequentia:  
 Mediocritatem servans in sermone tempestivè  
 reticendo. Materia circa quam seu Objectum  
 ipsius considerationis est sermo tempestivè  
 retinendus, vel reticendus. Dicimus tempe-  
 stivè, nam officiū Taciturnitatis non præcise  
 consistit in tacendo, quasi ejus esset sem-  
 per tacere, cum non minus circā tacen-  
 da, quam & loquenda errare contin-  
 gat, uti postmodum audiemus; Sed sem-  
 per intendere debet reticentiam (Sicut & inde  
 nomen fortita est) ita qvidē, ut tempestivè  
 & aptè lingvam moderari queat, ne ultra  
 limites honestatis & rectæ rationis ser-  
 mo unquam transiliat; Qvo circa & pro-  
 bè circumstantiæ ipsi sunt considerandæ,  
 quamdiu lingva cohibenda sermoque  
 reprimendus & quando. Qvia prudentis  
 est, non solum qvid dicat, sed & op-  
 portunitatem reliqvarū circumstantia-  
 rum exactè sibi explorata habere. Oc-

curat heic licet illud (v) Quod nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum, ἀπλῶς verum, nec naturaliter, nec moraliter esse, minimè concedendum. Hanc enim minus virtuperatione dignum dicenda tacere, quam facienda dicere arbitramur. Ast modus ac circumstantiae si ritè perpenduntur, verè ac eleganter hæc Catonis de tali pronunciantur.

Proximus ille DEO, qui seit ratione tacere. Nam (ξ) mala aurea, ad edictum quod divinus Ecclesiastes profert, sunt in sculpsita argentea, Verbum, in tempore suo.

#### §. IV.

Sedulum igitur Virtutis hujus studiorum, acie intellectus, sat intentâ, modum ipsasque circumstantias, ceu modò commemoravimus, circa sermonem, vel eloquendum, vel silendum respicere ac ponderare maximè decet. Qvor autem & quasnam sibi habebit perspectas, prolixitatis evitandæ ergo, paucis exponamus. Respectu itaq; ipfi erit, primo, ad Rem

si-

(v) e Disticis Catonis (ξ) Prov. 21. v. II.

sive *Causam*, ne vid. tacenda loquatur, dicenda v. taceat. Res oportet loqui veras seriasque. Arcanum Regis occultare bonum est, opera a. Dei revelare, ac celebrare honorificum. Huc quadrat, quod Sacerdoti nec sit licitum secreta peccata, ipsi sub fide silentii commissa detegere, cum hæc, velut coram DEO & non homine fiat, etiam omni honestati justitiaeq; contrarietur, (qua & hosti data fides servanda) sin alias pœnam velit evitare incendio dudum consecratam, nisi id faciat ad præcavenda futura damna periculaque. Quod præceptum quoq; ad cæteros, tam superiores, quam inferiores, semet extendere quit, quando nimis quis suo cernit silentio salutem reipub. fluctuare, dignitatem primatum, proximi atque amici vitam, famam & opes in dilcrimine esse constituta, simpliciter non est ipsi tacendum, quia potius revelandum, quia Patriæ, magistratu& superioribus suis, semper plus quam fratri debet. Deinde Personis aptanda est sermocinatio. Non enim æque tu.

tutum est jocari cum superiore ac in-  
feriore, cum æqvali si fiat, non inde-  
corum. Præfertim si juvenis, si fæmina,  
si idiota, maximè in iis commendatur  
silentium. Discipuli erga suos Præcepto-  
res, servi ancillæque erga Dominos suos  
Dominasque, nisi interrogatis, loqvendi  
concedatur facultas, eidem sint legi ob-  
stricti, *Locum præterea probè adspiciet*  
*sive Publicum, sive privatum Qvia: (o)*

*Singula quæque locum teneant sortita de-*  
*center, inquit Poëta. Idcirco operæ pre-*  
*tium est, hoc studiosius ut pensitemus,*  
*quò nobis utilitatem importat majorem;*  
*Ipsa hac quoq; tacendi virtute, interdum,*  
*fata minus felicia nostrumque dolorem,*  
*mitigare valemus. Namque (π) optimè*  
*miserias ferunt & calamitates qui abscon-*  
*dunt. vide Curt. Temporis post hæc*  
*habenda est ratiō. (ε) loqvitor quidem,*  
*si quid melius habes, quam quod tacea-*  
*tur, siquidem ordinem labiis ornare o-*  
*pus esse laudabile nosti: ubi vero filii-*

(o) Hor. de arte pag. 791. (π) lib. 5. cap. 5.

(ε) Greg. Nazianzenus

tium melius est sermone, ibi quietem diligere: decet enim quædā dicere, alia audire, nonnulla laudare, aliqua v. amarulenter rejicere; igitur non temerè, quicquid in buccā venerit, effutiendū sed verba intra septum dentiū arcere debemus: id n. in rebus omnibus est primum, omnia suo tempore facere, ad monitum Salomonis. Verba insuper Ovidii huc collimare videntur, sic sonantia: (σ)

*Temporibus servire decet, qui tempora certis  
Ponderibus pensarit, eum si bella vocabunt,  
Miles erit, si pax, poscis, toga gestiet armis,  
Hunc foras pacatum bellantem castra videbunt.*

(τ) Nec nimis præcipitatè verba facienda, ita ut lingua mentem præcurrat sed premeditatè, ut sermo in pectore non in ore natus esse videatur. Uti egregie docet Ampl. D. Anton. Iterus. Nec prolixus, ne Auditoribus tædiosus, versus nonnunquam memor Horati:

*Quicquid præcipes esto brevis ut citè dicta  
Percipient animi dociles, teneantque fideles.*

C

Ca.

(σ) lib. 2. de art. pag. 4. 15. (τ) *Synopsis  
Pbil. Mor. Cap. IX de tacit. pag. 260.*

Cavendum, denique, qvod ipsa turpitudine turpius esse videtur, ne sermones aliorum inchoatos obstrependo interrumpat; Qvia ejusmodi farinæ homunciones bilem aliis ita concitare queunt, ut malint, manus, quam verba, cum illis conserere. *Modus*, quem etiam modò dicta declarant, postremò attendendus est, ita ut *cum DEO*, præcipue in tundendis precibus nostris opemque implorando, humiliam mentis viriumque omnium veneratione devotissimâ; *Viris Publica* autoritate fulgentibus, verecundè & submisso; *equalibus* atqve amicis, decenter & gratiè; *inferioribus*, non amarulenter & acerbè, sed snavitè & moderatè; *Inimicis*, a. , circumspectè atqvè parcissimè, loqvatur. Omissis Tautologiis ac battologiis, ad factam interrogacionem reverenter & accommodatè respondendo.

### §. V.

**H**inc, quantum colligere possumus, purissimo tanquam à fonte tale emer-

mergit πόρισμα (v) Non omne dicendum, licet verum, sed quod expedit. Ratio est evidens, nam sæpè audimus & videmus multa, ut vera in publicum prolatæ, ingentibus malis occasionem præbere, adeò ut nunquam ea propalasse multò satius fuisset. Prudentia itaqve opus. Ita ab hostibus captum, vera dicendo, Patriam prodere aut Magnatum consilia spargere, minimè convenit, sed potius probè occultare, id quod Taciturnitatis virtus postulat & ab aliis dicitur mendacium officiolum, ob quod laudem meretur IEHU, qui propter gloriam DEI omnes Baaliticos sacerdotes occisurus, ingentem religionis Baaliticæ zelum præ se tulit.

### §. VI.

**Q**uoniam itaqve ex supra dictis luculenter evictum est, Taciturnitatem optimum ac tutissimum administrandarum rerum Vinculum esse (φ) & negotiorum cuiusmodicunqve fortunatos exitus per-

(v) Hier. Praet. Theat. Ethico atque Polit. scđt. XIV. de verac. pag. 109. (φ) Plin. lib. 5. Epist. 36.

indè atqve animum mirè ali silentio, qvod evagantes lingvas garrulitate compressa, validissimis retinaculis impedit, nonnulla de virtutis hujus celebritate auctoritateqve varias apud nationes monumenta, qibus pleni sunt libri, plena exemplorum vetustas, in publicum proferre decrevimus. E numero, arcana mira fide celantium, Romani palmam reportant, qvi teste Val. Max. (x) tantâ Charitate patriæ omnes tenebantur, ut arcana consilia Patrum conscriptorum multis feculis nemo Senator enunciaverit. Apud Spartanos mos invaluit, à Lycurgo legislatore informatos, ut maximus natu foribus ad stans, silentium introeuntibus his verbis imponeret: Διὰ τέτων ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται; hoc est, per has non egreditur sermo, vid. nihil debuit propalari, qvod in convivio liberius dictum erat. Undè jam hodiè in proverbium abit; laconice loqui. Ægyptii sacrificantes Harpocrati (hunc ut silentii numen venerabantur, qvi & Sigalion appell.

pellatus ) vociterabant : Lingua fortuna,  
lingua demon. Multi prætereà tanti  
fecere silentium , ut crudelissimis tor-  
mentis emori , quam commissa patefa-  
cere maluerint. Quid multis ? cum ta-  
lia, iam in sacra, quam historia profana  
ubique nobis oviam eant. Quæ, qvan-  
tum ad ipsam Taciturnitatem, pro ra-  
tione temporis & sumptus, protulisse suf-  
ficiant.

### CAP. III.

#### *De extremis, utpote Garrulitate & Infantia.*

**A**bsolutis sic breviter, pro modulo  
ingenii & ratione propositi, ad Ta-  
citurnitatis indolem ac naturam evolven-  
dam pertinentibus, tanto jam erimus  
breviores, quanto ex iis, quæ in supe-  
rioribus demonstravimus, extrema ipsi-  
us dispalescunt. Horum, prob dolor  
dari existentiam adeò constat, ut dubitare  
de eadem sanioris mentis compos ne-  
queat Hinc arbitrannur fore operæ pre-

tium, si & illa, qvæ ad ipsorum descriptionem Ονοματώδην spectant, paucis investigemus. *Garrulitatem* vel πολυφωνίαν originem suam ducere à *Verbo* latinis consecrato, *Garrire*, qvod avium est, satis constat. Sic ( $\psi$ ) *luscinae* in solitudine *Africana* canticum adolescentiae garriunt. Jam a. ad homines translata, idem significat ac nūgis molestius obstrepere, inconsideratè loqui, sive qvicqvid in bucca nascitur effutire. Ita non semel ab-solutè verbo garrire usus est Terentius. ( $\omega$ ) *Vocabulum* a. *Infantia*, etiam trivialistis manifestum, descendit à præpositio-ne *In*, & verbo defectivo *fari*, qvod est *Vatum*. Sic ( $\alpha$ ) *fatur lacrymans*. Hinc *Infans* adject. indisertum designat. ( $\beta$ ) *Fannii bistoria*, nec nimis est *Infans*, neque perfecte diserta. *Infantia* a. hic defectum Taciturnitatis nim. intempestivum silentium importat. Quantum ad vocis *Infantia* ambiguitatem seu Homonymiam,

( $\psi$ ) *Apul.* lib. 3. *Flor.* ( $\omega$ ) *Heaut.* act. 3. sc. 3. ( $\alpha$ ) *Virg.* VI. *Æn* pr. ( $\beta$ ) *Cic.* de *Clar.* *Orat* cap. *XXVI*.

am, cum de priori apud Lexigraphos nullam oriri controversiæ litem colligimus. Sumitur *Infantia* 1. pro *Imperitia* & *simplicitate*. Qvæ quidem, ait Svetonius ( $\gamma$ ) omitti jam video desidia qvorundam & *infantia*; non enim fastidio putem. 2. Apud Ciceronem & *imperitia dicendi est*: de qvibus impræsentiarum non est nobis sermo. Sed dicimus 3. *Infantiam*, hic denotare, cum qvis præter modum & honestatem omnimodè racet. Qvæ fuere *Garrulitatis* & *Infantie affinia*, ratione Etymi, seqvuntur ea, qvæ rationi significati cognitionem qvandam alunt cum ipsis. *Garrulitas*, nonnullis dicitur *logacitas* seu multilogium, item ( $\delta$ ) *paralysis* ac tabes animi, seu sermonis incontinentia; sic Seneca: ( $\epsilon$ ) Quem non in se convertet & abducet infixum cogitationibus, illa neminem satiatura, *garrulitas*. *Infantie* a. ovivo turpe ac intempestivum. silentium. Saccedit itaque ordine.

CAP.

( $\gamma$ ) *De illust. Gram. cap. 9.* ( $\delta$ ) Plutar-  
ebus pag. 190. ( $\epsilon$ ) *Consol. ad Helviam*  
de Marco pnero suo c. XVI.

## CAP. IV.

§. I.

**Q**uod neayuablogiar seu ipsam Defini-  
tionem realem complectitur. de-  
finitur autem prius, quod scil. in excessu  
Taciturnitatis peccat; ita, Garrulitas est  
vitium, quo quis tacenda temere ac surpiter  
diffundit. Posterior, defectum Taciturn-  
itatis importans, hac ratione: Infantia seu  
intempestivum silentium est vitium, quo quis  
segniter & pigre taceat, cum decorè ac honeste  
logvi deberet. In quâ definitione etiam duo  
seleofferunt notanda. Conceptus conveniente  
& disconveniente. Ille Generis, Hic differen-  
tiae specificæ, nomine venit. Illud in defi-  
nitione amborum est vitium. Quâ pri-  
us, sanè garrulitas lingvæ vitium est mole-  
stissimum simul & nocentissimum. Nam  
præter id quod plurima, maximaque  
incommoda aliis portendant, hoc virgo  
pollentes, etiam sibimet ipsis pleraque  
accersunt exitia. Heic optimè dicitur  
illud Eupolidis de ejusmodi nugatori-  
bus,

bus λαλεῖν ἀριστούς ἀδύνατος λέγειν, latrare optimus; dicere ineptissimus. Qui enim nequit linguam comprimere, stultum se prodit & similem cani, cuius femur iaculo transfixum. Ille currit, saltat, gyrat se, ululat, nec conqviescit, donec vel jaculum excidat, vel extrahatur. Sic homo garrulus conqviescere nequit, donec verbum conceptum efficiat (ζ) sicut sagitta in femore Canis, sic verbum in ore stulti, inquit Syracides. Unde haud immerito Theologi multiloquium & incurritatem perhibent esse gulæ filias. Sæpe stulti cum silent etiam sapientes habentur.

(η) In logvacitate non deerit peccatum ait Salomon. Wer viel schwetzt der leugt viel apud Germanos fere proverbiū. Malum, profectò, hoc est terrimum insignisqve stultitia; nam non modò hominem spiritualibus divitiis dehudat, sed & detrimentorum totinyria des secum adportat. Illa graviter proximum lædit, illa garrulum cunctis facit exosum: illa pænitentiam adfert, sed

(ζ) Eccles. 19. (η) Prog. 10.

seram, n̄ fallor, p̄nitenti; Qvam &  
 Summus actionum humanarum Judex  
 p̄œnis gravissimis punire s̄evit. Hoc  
 vix laborantes, auditoribus etiam ami-  
 cissimis fiunt molesti. Sed ut rem verbo  
 complectar: *Garruli* omnes, cunctis mole-  
 stiam pariunt, Auditorem sicubi qven-  
 dam invenerint, iplum statim loquaci-  
 tatesua futilissima mordent, urgent, con-  
 sequantur, aliis manus prehensant, aliis  
 vestes vellicant, perplurimos etiam ve-  
 nenatis suarum lingvarum aculeis dila-  
 cerant, adeò ut ipse satanas videatur lin-  
 gvat dirigere ipsorum, qui licet iplum  
 non cernant, tamen instar avis procul  
 omni dubio insidet lingvæ & exspectat,  
 numqyid indè decerpere valeat; vene-  
 no sic corrosorio infuso, DEUS immor-  
 talis! qvam miserrimè conscientiam  
 ipsorum, tanquam vermis, rodit, fauci-  
 atque. Qvos tandem deferit cum lauciatos  
 & desperabundos vider, tandemque i-  
 pos, nili tam immane scelus seriis ge-  
 mitibus ac deprecatione apud DEUM,  
 hâc in vita deposuerint, ad tartara tru-

dit.

dit. Porrò, in arcanis investigandis commissisqve malè tegendis, sunt solertissimi, ideoq; ad rem publicā administrandā ineptissimi, autore Curtio. Qvod magnam rem non credant posse sustineri ab eo, cui tacere grave sit. imprimis ad hoc vitium sunt proclives, pueri, qvi in scholis sudant, aniculæ, ancillæ, aulici & qvi sunt alii. *Formale* Ipsius facile ex iis qvæ dicitur sunt, illustratur. Exempla vitii hujus desideraturus, adeat Plutarchum, Neandrum, Diog. Laërtium, Atheneum, Curtium & alios, qvæ propter temporis angustiam hic præterimus.

## §. II.

**U**ltimò ad ea, qvæ *Infantiam seu intempestivum silentium* attingunt, propositum brevitatis studium nos invitat. *Vitium* quoqve esse hujus *Genus* legitimum, ansa dubitandi nulla subest; siqvidem, tam circa tacenda, qvam loqvenda, qvod ex præcedentibus innocuit, erratur, dum scil. quis silentio intempestivo seu *obrutorum* obrutus præter modum ac honestatem

tem, omnimodè silet. Qvibus sub verbis, differentiam definiti specificam latere, nulli non est in proposito. Haud enim planè mutas agemus personas, qvibus lingua ad dicendum divinitus est concessa. Qva proper rumpendum interdum linguae vinculum, qvando nim. gloria DEI, salus proximi & bona fama periclitantur, Qvando Patria in discrimen venit, qvando proximus ædificari & licetè juvari potest, juxta monitum Excellentis D. Rudrauffi, loco suprà commemorato.

### §. III.

**P**osset hic qvis, Coronidis loco, qvæstionem movere talem: *An natura facilius sit loqui, quam tacere?* Relp. qvòd loqui sit facilius natura. Sed qværatur adhuc: *Annon natura voluerit & tacere esse facilitum?* Cui refragari videtur sententia illud D. Apostoli Iacobi dictum (9) lingam autem nullus hominum domare potest usq; malum incoercibile, plena veneno mortifero. Concedimus qvidem, tacere esse

(9) *Jac. 3. ve. 8.*

difficilimum, qvia pronissima est natu-  
ra ad loqvendum turpia, præsertim  
plebejis atque indoctis, nullaque prudentiâ suf-  
fultis; Ast, è contra, iis facilimum  
qvibus de meliori, ut ajunt, lato fixit præ-  
cordia Titan. Hinc ipse Pythagoras (1) Non  
omnibus idem temporis spatiū tacendi præ-  
scripsit, sed cuivis pro estimato solertia caput.  
Sed ne propositæ brevitatis limites trans-  
grediamur, svadente ipsa ratione, svadente  
pariter rerum domi angustiâ, ad  
illam dilatiorem reddendam, vela jam  
dissertatiunculæ nostræ contrahimus.  
Sic jecimus aleam, sic transivimus Ru-  
biconem. Interim te, Lector centorqve  
æqvissime, qvæ maximâ cum festinatio-  
ne chartis mandavimus, velis ea solito,  
qvo es, candore, non tantum benignè  
excipere, verum & mitiorem in partem  
semper interpretari, enixè atque per-  
officiosè rogamus! sit interea in  
secula nunquam ter-  
minanda.

Gloria magna Patri, compar tibi gloria Nata,  
Flamine cum sancto, gloria magna DEO.

(1) Ausl. Gell. lib. I. c. 9.

Q<sup>2</sup> In eruditam docteqve contextam  
De Taciturnitate dissertationem  
Juvenis,  
Peregrinii atqve Doctissimi  
**DN. ISAACI SIPONII,**  
**Amici Consangvinei que perdilecti,**  
**GRATULATIO.**

**D**um satagis doctas Musarum scandere  
sellas  
Sipponi, Aonii portio rara choris.  
Egregium Tacitie specimen Tacite indolis edis,  
Munitoque satis protegis ore locum.  
Excipiunt Musæ venientem carmine lato,  
Associantque sibi speque fideque rata.  
Sic curis requiem, virtus, pietasque rependunt,  
Sic sanctè musas beie coluisse juvat.  
I felix igitur, qd te tua fata secunda  
Ducant, et donis utere queso bonis.  
I felix inquam, cedant felicia capta  
Numinis in laudem & grande decus Patria!  
Sic pereximio Dn. Respondenti, ut  
Amico & Consangvineo suo di-  
lectissimo, ita animitus cordi-  
citusque dovet  
**JOH: GESTRINII S.**

Ad Eruditum discursus

De Taciturnitate,

Juvenis

politionis literaturā, nec minus morum  
integritate conspicui

DN. ISAACI SIPONII,  
non fucatā fide & sinceritate ami-  
ci conjunctissimi.

Scandere Parnassi colles atque aspera  
saxa,  
Herculis hic labor est, talia dura pati.  
Deflectunt latè hinc, cupiunt qui curre-  
re laeti

Tramite ad Aonias; pol vigilare decet.  
Gloria decreta est illi, quem semita dure  
Tendere non tardas propositum usque sco-  
pum.

Hoc dum per volvo, Sipponi, respuis illa  
Sed methodum pergis sistere jam tacitis.  
Carpitur hic simulac quæ garrula lingua per-  
errat:

Ingenium monstras sic permanande tuum.  
Gra-

Gratulor ergo tibi; Tibi Cinget culta Mi-  
nerba

Laureola virtù tempora honore novo.

Macte tuis studiis! fiane patriæ emolu-  
mento,

Captis atque tuis milia fata precor!!!

Animo quam camenā prom-  
ptior adjecit

CLAU.D. SCHULTZ/

Helsingf. Nyl.

